IN FESTO ASCENSIONIS CHRISTI ORATIO

Habita in Basilica Lateranensi


AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A B ANTONIO CAISELLI

PATRITIO UTINENSI COMITE &c.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M DCC XXXIII.

Superiorum permissu.

BEATISSIME PATER

ANTONIUS CAISELLI
FELICITATEM.



I tanta apud ethnicos homines, S*ANCTISSIME* P*ATER*, *corporis, animique præparatio habebatur; cùm de aliquo myſterio, quod omnino profanum erat, atque ſacrilegum, ſermonem inſtituendi ſe ſe ipſis offerebat occaſio, quid mihi potiſſimum erit hodierna luce, qua rem tam ſanctam, divinamque colimus, ut glorioſa Domini Aſcenſio nobis*

configuratur. Quam dispar munus collatum est mihi, & quidem majoris dignitatis atque excellentiæ, quantum super omnes gentilitatis errores indefectibilis hujus nostræ Catholicæ Legis veritas conscendit. Præterea CLEMENS MAXIME, etiam pertimescendum est mihi, cum scio me ante summi Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis, & Principis conspectum dicere, ipsique qualiscumque ea sit Orationem meam dicare. Etenìm jam patet, quanta in Te dignitas sit atque majestas, quanta etiam lux effulgeat ut in amplissima Petri Sede constitutus tanquam lucerna super candelabrum

labrum posita mentibus nostris ignorantiæ tenebras procul elimines, tantumque æternæ hominum salutis desiderium resideat, ut dux animarum factus, & rector, ipsas per rectam Cælorum semitam conducas. Neque verò alia beneficia ignota sunt quæ admirabili munificentia nobis impertiris. Quid sunt tot ædificia non dicam instaurata, sed ab imis usque fundamentis ad Romanæ Urbis ornamentum erecta, nisi animi Tui magnitudinis argumentum? Nec cætera desunt, quæ æterno utpote rerum omnium conditori consecrata, quemadmodùm hîc intuemur, rem Divinam nobis au-

geant, & Religionem. Liceat commemorare ſummam in proſcribendis erroribus vigilantiam, in dirimendis controverſiis ſagacitatem, in reformandis moribus ſollicitudinem, ſuaviſſimum denique in componendis, concordandiſque Principum animis imperium. Te incorruptæ juſtitiæ vindicem, liberalium artium fautorem, Patrem communem, Paſtoremque vigilantiſſimum agnoſcimus; Deumque Optimum Maximum enixe precamur, ut Te diù ſoſpitem in terris, ad Orbis conſolationem, Eccleſiæ utilitatem, bonorumque omnium tueatur augmentum.

ORA-



ORATIO.



Ulla profectò dies, BEATISSIME PATER, tantam jucunditatem hominibus, tantumque fęlicitatis incrementum, vel etiam, ut verum fatear, tam validum Tartareis ſpiritibus timoris argumentum exhibuit, quàm quæ hodierna luce Chriſtiano Orbe, vobiſque potiſſimùm adſtantibus in hac Sacrâ Latera-

teranensi Basilica celebratur, & colitur; cùm huic præcipuè, post absolutam perfectamque hominum redemptionem, post traditum nobis clarissimum sanctissimæ vitæ, ineffabilisque doctrinæ testimonium, post bene firmatam legem, optimisque sanctionibus munitam, post rupta mortis vincula, fractasque dæmonum vires, atque potentiam integrum suarum victoriarum complementum Reparator humani generis Christus Dominus reservare voluerit, eamdemque inter cæteras omnes sibi præelegerit, ut ad paternæ majestatis gloriam, unde jam descenderat, se reciperet. Quid ni fremet iratus dæmon, atque undique velut insanus excandescat, cùm tantam, tamque inopinatam animarum, quas è rapacibus ablatas unguibus Redemptor in libertatem asseruit, jacturam prospiciat; quosque virulentus ipse inimicus primi habitaculi fœlicitate dejecerat, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocarit? Contendant igitur homines summâ nunc exultatione repleri, atque munificentissimo Orbis Liberatori perennes pro tam eximio munere gratiarum actiones effundere. Etenim nostra præ-

S. Leo Serm. 2. de Ascen. Domini.

præſertim ſunt bona, nobis hæc potiſſimum beneficia collata ſunt, quæ è glorioſiſſima Domini Aſcenſione manarunt. Hodie fragilis humana conditio Divinis cumulata honoribus ſuper omnem Cæli militiam ſuper omnes Angelorum ordines omniumque poteſtatum altitudinem in Chriſto conſcendere viſa eſt. Hodie Chriſtus aſcendens in Cælum facere, & docere deſinens Petro, ejuſque Succeſſoribus dilectiſſimam Eccleſiam ſponſam regendam, gubernandamque tradidit, contra quam nec tyrannorum immanitas, nec hæreticorum hominum diſſenſiones, perſecutioneſque, nec tandem portæ Inferi unquam prævalere potuiſſent. Hodie potentiſſimus gloriæ Rex prælium iterùm confecit in illum, qui naturam humanam in ſervitute captiuam detinebat, mortiſque habebat imperium, quemque in ara Crucis vulneribus ſauciatus, & toto corpore confoſſus, atque in mortis articulo conſtitutus ſtravit, evertitque, nunc immortali gloria, & majeſtate repletus acriorem pugnam repetit, ſimulque victorias ingeminat. Revera plus roboris, firmitatiſque Chriſti Domini Aſcenſio Apoſtolis, & Diſcipulis con-

S.Leo Serm.1 de Aſcen.Domin.

Matth. c.16.

S.Greg. Orat. de Aſcen.Domin.

contulit,quam ipſum mortis, Reſurrectioniſque myſterium; cum enim factum eſſet, ut de exitu Crucis trepidaſſent, atque de fide reſurrectionis fuiſſent ambigui, Chriſto tamen properante ad Patrem, omnem dubitationem, animique ſuſpicionem depoſuerunt, tantamque in omnibus Catholicæ Religionis veritatibus ſtabilitatem acceperunt, ut pro veræ fidei confeſſione non carceres, non exilia, non ferarum laniatus, nec dominantium imperia aliquo modo perterrerent, ſed potiùs pro Chriſti nomine vitam ipſam in ultimum diſcrimen libentiſſimè adduxiſſent. Quam itaque animi conſtantiam, atque fortitudinem, quæ in Oecumenicæ Eccleſiæ Aurorâ videbatur, utinam, & nunc, utpote hodierna ſolemnitate roborati, noſtris cordibus infixam haberemus, ut pro veraciſſimæ Religionis, quam invicem profitemur, augmento mortem ipſam non aufugeremus. Quamquam quis particeps Chriſti gloriæ eſſe præſumat, niſi qui particeps fuerit & pœnæ? Plures Chriſtus comites habet, ſi Jeroſolymam plaudente populo feſtanter ingreditur, ſi admirabilis potentiæ ſigna undequaque relinquit; ipſum tamen deſerant,

rant, si hominibus quæratur ad mortem, si velut Agnus ad tribunalia trahatur, si tandem durissimæ affixus Cruci spiritum emittat. Fugiunt enim, animoque perhorrescunt ubi tanta tristitiæ, dolorisque materies objicitur; quæ tamen oculis, mentique arrident, libentissimè sapiunt. Non igitur totis nos viribus, animoque in Christo glorificato solùm immoremur, sed nec ab ejusdem passione, vulneribus, Crucis patibulo, mortisque ignominiâ mentem nostram penitùs removeamus, si salutares nobis de gloriosa Domini Ascensione partos sperare velimus effectus, fructusque percipere.



DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.


CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A CAMILLO PALLAVICINO

Patritio Cremonensi, Marchione &c.

COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORE



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M. DCCXXXI.

Superiorum Permissu.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

CAMILLUS PALLAVICINUS

FELICITATEM.



N tibi B*EATISSIME* P*ATER*, *quam de Augustissima Trinitate Orationem habui, mu-*

nus dicentis exiguitate minimum, amplitudine argumenti, & majestate dignum maximè, quod tibi inscriberetur. Trinus ille, atque Unicus omnium Deus, de quo dicere per te mihi licitum fuit, neminem magis suæ Vicarium potestatis voluit in terris esse, quam Supremum Pontificem, Te inquam, quem maxima lætitia renunciatum accepimus, & recurrente jamjam ab sapientissima electione anno jure optimo meritoque gratulamur acceptum. Ille est, qui introspiciens, quantum in te pietatis, quantum justitiæ, quantum rerum, & exemplorum esset, supremam hanc dignitatem

feli-


felicissima successione in te transtulit, & ad Ecclesiæ decus, & regimen difficillimis temporibus tuas virtutes admovit. Ex his penè infinita in dies profluunt digna Principe, digna Pontifice; multa, quæ etiam ad nostras aures sæpè permanant, ut mirum sanè videatur maximis occupatum negotiis, humilium posse curis interesse; quum tamen non intersis solum, verum etiam summa præsis humanitate, & integerrima illa, qua polles, justitia. Deo igitur tuæ dignitatis Auctori, & vota publica, & gaudia commendo, ut quæ jucundissima jam inde ab initio fecit, diuturna faciat; eum-

demque oro , ut , quæ mihi ad tuos pedes provoluto tua benedictione præstas , ipse probet , atque recenseat .

ORA-



ORATIO.



Uod caput eſt religionis, Beatiſſime Pater, Auguſtiſſimum TRINITATIS Myſterium, cæleſtis patriæ beatitudo, & ſolatium, Dei immortalis occupatio conſtans, & perpetua felicitas, idem eſt hodiernæ Celebritatis, & meæ orationis argumentum. Verebar itaque, ne non infinitæ dignitatis faſtigium attingens, nimium auderem, & *in Cælo ponere os meum viderer*, quum de eo verba fa- *Pſal. 72.*
cerem, quod nec oculis intueri, nec ullo poteſt ſermone complecti. Sed me recreat, & reficit ad ſimilitudinem Conditoris procreatum hominem meminiſſe, ut ſui imaginem

refe-

referret Auctoris, & quæ Deo inesse tu-
Ad Rom. c. 10. ta quadam mente perciperet, *corde crederet ad justitiam, ad salutem autem ore fateretur*. Quod igitur evenit mihi ex sententia, ut de ineffabili dicerem TRINITATIS Mysterio, id e religione ratus contigisse, maximè humanum opus me fore facturum sum arbitratus, si quæ Deo revelante accepimus, humanis identidem eloquiis usurparem. Ascendebat nuper optimè de hominum salute meritus, ut Patris dexteram teneret, Unigenitus Filius, & jucundissimè Patrem compellans hisce vocibus utebatur:
17. Joã. 6. *Nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi Pater manifestavi*. Hujusmodi verò testimonium tacita nos cogitatione comprimeremus, nec ex animo effaremur potius supremam Patris majestatem ex Filii sapientia nobis aliquando fuisse compertam? Opportunum profectò quod maximè expedit, quam sæpissime commemorare. Quid vero expediet magis, quam ut ea, quæ certa fide tenemus, quæ ab ipso Unigenito edocti sumus, castè, & integrè referamus, & de Deo loquentes ad Deum magis, & magis pertinere censeamur? Apud
3. Matt. 3. Jordanis aquas *vox Patris intonuit*, *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. At tanta Patris sollicitudo, ut Filium de se testimonium

nium perhibentem audiremus, non ne animos mentesque hominum aperta quadam benignitate prolectat, ut nedum ejus exemplis mores nostros, vitam vitæ; verum etiam doctrinis internos sensus, & cogitationes; voces vocibus conformaremus? Conformamus verò, quum fatemur cum Beatissimo illo Apostolorum Principe; *Tu es Christus Filius Dei vivi*; & in ista veluti totius religionis arce hæc confitemur, ubi per illum validissima Ecclesiæ, & perpetua jacta sunt fundamenta. Neque verò sine maxima divini illius Spiritus ope, atque consilio id fateri nos posse arbitramur, qui sub Columbæ specie visus est revelationem Augustissimæ Trinitatis perficere, quum Unigenitum Pater hominibus manifestaret. Quæ cum ita sint, ut aliter esse non possint; en Deus magnus scientiam nostram exuperans, quanta usus est clementia nostris sese mentibus patefaciens, quo animos amore devinxit; quanta, quam maxima & singulari complexus est benevolentia! Abscedat igitur humanarum caligo rationum, & omnis perditorum hominum memoria funditus evellatur, quos vel Catholicis finibus Nicæna Synodus, quod contra dignitatem Filii sentirent, exterminavit; vel quos Spiritus Divinitati adver-

Mat. 8. 25.

adversantes, Oriens ab Ecclesiæ sinu ejectos exaudiit, Nos accepimus profligatos. Quare id mihi superesse satis intelligo, ut eo desinam, ubi est pietatis exordium; gratuler scilicet, vereque gratuler Orthodoxæ Ecclesiæ, Fidei, & Religioni post catholicorum hominum memoriam Sanctum esse in terris, & constans *testimonium illud, quod in Cælo perhibent Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

Aug. l. 6. 1. de lib. Arb.

5. *Joan.* 7.

